

legi facere vim quadruplicem; dum alii non distinguunt disciplinas subalternatas à non subalternatis; alii restringunt hanc legem ad disciplinas; alii non distinguunt præcepta à commentariis; alii denique confundunt rem consideratam, tanquam materiam, cum modo considerationis, tanquam formâ.

Lex generalitatis præcipit, ut ea in docendo præcedant, sine quibus sequentia intelligi non possunt, & quæ sine sequentibus intelligi possunt. Dicitur etiam lex collocationis, & coordinationis, item antecessionis & consecutionis.

Lex generalitatis.

Hic obiter decidenda est quæstio in utramque partem agitata à Zabarella & Piccolomineo; unde nimirum sumenda sit ratio methodi doctrinæ, num ex naturali rerum antecedentium & consequentium ordine, an verò ex nostrâ meliori & faciliore cognitione? Respondemus per distinctionem, magistræ conciliationis, quòd ex utroque. Nam methodus doctrinæ consideratur vel ratione sui fundamenti, vel ratione sui finis. Fundamentum ipsius est ordo rerum seu disciplinarum, ut *cap. 1. hujus libri* diximus. Finis ultimus methodi est nostra faciliore cognitio. Sed & hic alia oritur concertatio. Nam quæritur, an ordo doctrinæ primariò debeat duci à naturali rerum ordine, secundariò verò conformari ad nostram faciliorem cognitionem; an verò contra doctrinæ methodus perfecta (de hac enim agimus) sit sumenda primariò ex nostrâ faciliore cognitione, secundariò ex naturali rerum ordine? Prius vult *Keckermannus in cap. 1. de meth. can. 2. methodi artificialis*; posterius defendit *Timplerus l. 4. Logic. c. 8. q. 11*. Sententia Timpleri videtur verior. Rationem hanc damus. Methodus doctrinæ in disciplinis est ordo partium doctrinæ. Proinde duo, ut in omnibus aliis relatis, ita & in ordine illo distinguenda sunt, nimirum materiale & formale. Materiale methodi sunt res ordinatæ; formale est unio seu connexio partium. Hæc connexio respicit finem ultimum tanquam mensuram. Pendet igitur à fine ultimo. Sicut in regno, quod & ipsum ordo quidam est, distinguitur materiale, videl. pars imperans itemq; subjecta, à formali, quod est unio partium istarum; & sicut præterea

Unde sumenda sit methodi doctrinæ ratio?